



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Originvm Monasticarvm Libri IV.

Le Mire, Aubert

Coloniae Agrippinae, 1620

Cap. XVII. De S. Philippo Benitio, V. Priore Generali ordinis seruorum B.
Mariæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11249

Benititis per quietem in cœlum deferri vidit.

B. *Alexius*, cùm ad annum ætatis centesimum decimum peruenisset, anno 1310. beatam animam exhalauit. Horum corpora sub ara maiore templi Montis Senarij, septem columnis fulcita quiescunt. In quo monte viuunt hodieque quadraginta Eremitæ, cœnobia Diuæ Virg. Annunciatae Florentino subiecti: vt idem Ferrarius tradit libro citato.

CAPVT XVII.

*De sancto Philippo Benitio, V. Priore
Generali ordinis Seruorum
B. Mariæ.*

Philippus Florentiæ ex nobili Benitiorum familia ortus, Lutetiæ Parisiorum medicinæ adolescens operam dedit. Reuersus in patriam, cùm Ecclesiam Seruorum (quæ Deiparæ Annunciatae nominatur) ob singularem erga Deiparam deuotionem frequens visitaret, qua die ea verba ex Actibus Apostolorum, *Philippe accede, & adiunge te ad currum istum*, legebantur, actus in extasim, currum aureum, quem ouis & leo trahabant, & in eo sanctissimam Matrem, comitantibus Angelis, insidentem, nigraque

sibi indumenta porrigentem vidit. sequenti nocte ab eadem Dei Genitrice seruos suos adire iubetur. Quare summo mane confurgens *Bonsilium*, vnum ex septem Ordinis fundatoribus, illius cœnobij Priorem adit, oratque vt inter Cōuersos recipiatur. Receptus vitam aliquamdiu in Monte Senario solitariam duxit: vbi spelunca, in quam pœnitentiæ causa ingredi, & vim lacrymarum profundere solitus erat, nomen ipsius retinens, & aquam emittens, adhuc visitur. Elucebant in eo, præter cæteras virtutes, mira patientia & insignis humilitas. Factus Sacerdos, paulò post in Capitulo Florentiæ celebrato, Prior Generalis, quinto loco, licet inuitus, eligitur. Quod munus ab eo sæpius, sed frustra renunciatum, 18. annos tanta prudentia administravit, vt non modò in Italia, sed & in Germania, & alibi ordinem Seruorum, multis exstructis monasterijs, mirificè propagarit. Tanta fuit in eo humilitas, vt non nisi post 7. annos, quòd Generalis esset, à suis agnitus fuerit. Dissidentium paci & errantium studuit emendationi. Nam Pistorij Guelphorum & Gibellinorum factiones per se ipsum, Florentiæ vnà cum fratre Latino Cardinale, Ord. Prædicatorum, Legato, Seruorumque Protectore sedauit. Foroliuienses, quòd à Martino IV. Pontifice Maximo defecissent, inter concionandum reprehendit: à
qui-

quibus verberibus affectus, peregrinum
vnum ex percussoribus conuertit; qui e-
undem ordinem ingressus, vitæ sancti-
tate floruit. Visitando & prædicando
Embdam vsque Frisæ orientalis metro-
polim peruenit, multis ab hæresi, & alijs
vitijs per ciuitates ad Deum conuersis.
Plura viuens edidit miracula. Nam a-
pud Camillanum agri Senensis vicum,
ad curiã pergens, leproso nudo eleemo-
synam petenti propriam vestem concessit:
qua ille indutus statim à lepra conualuit.
Quo miraculo peruulgato, dum Viterbij
Cardinales, Clemente IV. Pontifice Ma-
ximo vita functo, de successore eligendo
dissiderent, nonnullis Philippum propo-
nentibus, illere cognita clam inde recedens
(quod maximæ humilitatis argumentum
fuit) apud Montem Tuniatum delituit, v-
bi balneis, quæ vsque in hodiernum diem
S. Philippi nominantur, virtutem sanan-
di morbos impetrauit. Arreti cum fratres
ob maximam victus penuriam fame con-
ficerentur, pius accurrens pater, eos blandè
consolatus, dum ad imaginem sanctissimæ
Virginis orat, ecce duos cophinos candidis-
simorum panum plenos ad ianuam mona-
sterij diuinitus delatos. Cùm in Germaniam
Euangelium prædicaturus, *Rudolphi*
Imperatoris inuitatu, proficisceretur, apud
Lau-

C 5,

Lau-

Lauinum annem, inter Bononiam & Muti-
 nam, sub arboris vmbra sole ardentissimo
 diuersatus, nonnullis blasphemantibus diui-
 nam vltionem prædixit, quæ illos statim, vt
 ab eis recessit, secuta est. Nam ignis de cælo,
 in morem turbinis descendens, arborem cū
 illis prorsus absumpsit. Ex Germania redi-
 ens, ingressus nemus inextricabile, cū fo-
 cij inedia triduo afflictū non possent vltius
 progredi, Philipp^o facta oratione voces quas-
 dam secutus, nemine tamen viso, panem & a-
 quam, quibus recrearentur, inuenit. Demum
 Tudertum veniens, meretricibus, quæ sibi in
 via illudere ausæ fuerant, sic persuasit, vt in
 monasterio apud Carsulam (quæ vrbs nunc
 iacet) inclusæ, perpetuò penitentiam egerint.
 In vrbs ingressu totam ciuitatem sibi tan-
 quam patri obuiam habuit: Ecclesiam in-
 gressus, & ad altare B. Virginis orans, cū
 quasi diuinans ea verba, *Hæc requies mea*, pro-
 nūciasset, paulò post in festo Assumptionis B.
 Virginis in morbū incidit, ex quo octauo die
 fratres ad obseruantiam regularem horta-
 tus, sacrisque munitus, XI. Kal. Septembris
 anno salutis 1285. migravit ad Christum. E-
 ius sanctitas multis miraculis declarata est.
 In ijs, mulier manibus, pedibusque contra-
 cta, vt sacrum corpus attigit, statim
 incolumis domum remeavit. Cæcus ad
 tumultum illius delatus, illico visum re-
 cepit. Puer in agro Tudertino à lupo
 stran-

strangulatus, eius meritis ad vitam reuocatus est. Mulier, quæ & miracula negare, & seruum Dei irridere præsumperat, mox effecta est muta: quæ resipiscens, & ad illius pedes prostrata, veniamque precata, pristinam loquendi facultatem recuperauit. Viduæ filius vnicus, ex diutino morbo defunctus, dum mater gemebunda opem Philippi implorat, rediuuus surgens, Philippum sibi succurrentem vidisse testatus est, stupentibus, qui, vt matrem solarentur, aduenerant. Quare Leo X. Pontifex Maximus, cognita viri sanctitate, cum illum grauissimis curis impeditus non potuisset in Sanctorum numerum referre, fratribus sui Ordinis, vt de illo Officium duplex X. Kal. Septemb. recitarent, concessit.

Ita Ferrarius lib. citato, ex Archangelo Ianio, qui S. Philippi vitam libris quinque descripsit.

Colitur autem officio Ecclesiastico s.

Philippus Benitius in Tuscia,
ex indulto Pauli V.

23. Aug

Papæ.

CA-